

corde polluto; quam immunditiam Deus super omnia execratur et quae sola injuria ejus est corpori. Nam et Joseph illum Justum, qui sindone munda involutum in sepulchro novo corpus Domini sepelivit praefigurans corpus Domini accepturos, tam mundam mentem debere habere quam novam. Munditiam ergo mentis et novitatem ex repulso peccato existimat probationem necessariam ad susceptionem Eucharistiae.

S. Joannes Chrysostomus in eundem locum: Probet autem etc., inter multa ait: „Nefas est absurdis cupiditatibus impeditos ad mensam eucharisticam accedere. Cum autem absurdas dico cupiditates, et corporum dico et pecuniarum et irae et successionis et omnes simpliciter absurdas; quae omnia accedentem exhaurire oportet et ita purum illud attingere sacrificium, non pigre disponi et misere cogi propter solemnitatem accedere, neque rursus compunctum et praeparatum impediri eo, quod non sit solemnitas. Solemnitas enim honorum operum est demonstratio, animae puritas, vitae certitudo, quae si habueris, semper poteris celebrare solemnitatem et semper accedere. Probet autem se ipsum homo. Non jubet ut alter alteri probetur, sed ipse sibi non publicum favoris iudicium et sine teste argumentum.“

S. Athanasius in eundem locum inquit: „Probet autem se ipsum homo et sic etc. quemadmodum sint necessaria et honorum omnium caput in eo consistere patefacit, ut tersa et nitida conscientia ad divina mysteria accedatur, inquitque: Neminem tibi in iudicem proposuerim praeter te ipsum. Tua itaque conscientia examinata discussaque adito ea mysteria non festis modo profestisque diebus, sed quovis tempore, cum te purum et dignum compereris.“

Sanctus Augustinus in lib. de salutar.

docum. cap. 33. ait: Unusquisque antequam Corpus et sanguinem Domini nostri Christi accipiat, seipsum probet et secundum Apostoli praeceptum de pane illo edat etc. Quando enim illud accipere debemus, antea ad confessionem et poenitentiam recurrere debemus et omnes actus nostros curiosius discutere et peccata obnoxia, si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem et novam poenitentiam abluere, ne cum Juda proditore diabolum intra nos celantes pereamus. Et in tractatu 26. in Evang. Joannis ait: „Videte fratres; panem coelestem spiritualiter manducate. Innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sint quotidiana vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra etc.“ Igitur probatio per Augustinum est conscientiae puritas a peccato etiam veniali.

Et ut alios omittam doctores idem prorsus sentientes, Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. ait: „Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus Apostoli praeceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiae autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacramentum Eucharistiae accedere debet. Quod a christianis omnibus etc. Haec s. Synodus perpetuo servandum esse decrevit.“ Ecce quod probatio per Concilium est puritas a mortali.

Quamvis autem, ut sine culpa nova suscipiatur Eucharistia, sufficiat ut suscipiens sine mortali sit, ut tamen cum debita SSmo Sanctorum Principi reverentia suscipiatur alia quaedam necessaria sunt.

Primo quod per diem aliquem saltem quis a carnali actu, etiam uxorio

abstinuerit. Ita s. Hieronymus in epistola 50. ad Pamacchium, qui audiens se a Joviniani improbari, quod hoc docuerit, pro Apologia inquit: „Quare hoc dixerim perspicuum est, qui interpretabar illud Apostoli dictum: Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Paulus dicit, quando coimus cum uxoribus, nos orare non posse; si per coitum quod minus est impeditur, id est orare: quando magis quod majus est, id est Corpus Christi prohibetur accipere. An idcirco arguor, quod de meo ausus sum adjicere, non permittit?“

Ad hoc breviter respondebo. Quid est majus orare in Corpus Christi. Si per coitum, quod minus est, impeditur, multo magis, quod majus est. Diximus in eodem volumine panes propositionis ex lege non potuisse David et socios ejus comedere, nisi se triduo mundos a mulieribus respondissent. Non utique a meretricibus, quod damnabatur a lege, sed ab uxoribus, quibus licite jungebantur. Populum quoque quando accepturus erat legem in monte Sina, tribus diebus jussum esse ab uxoribus abstinere. Scio Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi Corpus accipiant; quod nec reprehendo nec probo. Unusquisque enim in suo sensu abundet, sed ipsorum conscientiam conventio, qui eodem die post coitum communicant. Quare ad martyres ire non audent, quare non ingrediuntur ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet. Probet se unusquisque et sic ad Corpus Christi accedat. Et quod dum doleo me non communicasse Corpori Christi, abstinere me paulisper ab uxoris amplexu, ut amori conjugis amorem Christi praeferam. Durum est, non ferendum est. Quis hoc saecularium substinere potest? Qui potest substinere, substineat; qui

non potest, ipse viderit. Nobis curae est, non quid unusquisque possit aut nolit, sed quid Scripturae praecipiant dicere. Haec Hieronymus, qui a scriptura hoc asserit esse praeceptum, ut ante sumptionem Eucharistiae per diem aliquem a conjugati etiam copula abstinere.

Hinc est, quod in decreto post Concilium Eliberitanum statuitur, ut communicaturus abstinere ab uxore per tres dies. Et Clemens VIII. (Const. 34.) statuit, ut graecus sacerdos, antequam celebret, per hebdomadam vel saltem per triduum abstinere ab uxore. Et in can. 1 et can.: Vir cum propterea, 33. d. 4., prohibetur communicare ei, qui praecedente nocte cum uxore concubuit. Et Catechismus Romanus 2. de Euchar. n. 58 ait: „Postulat etiam tanti sacramenti dignitas, ut qui matrimonio juncti sunt aliquot dies a concubitu uxorum abstinere, Davidis exemplo admoniti, qui, cum panes propositionis a sacerdote accepturus esset, purum se et pueros suos ab uxorum consuetudine tres dies ipsos professus est.“

Secundo, sive raro sive frequenter sive quotidie Eucharistia sumatur, non in prophana domo aliove simili loco sed in sacro Eucharistia sumenda est. Etsi enim, ut sanctus Basilius notat in epistola ad Caesarem Patriciam, persecutionis tempore fideles domi tenebant sacramentum et suis manibus illud sumebant, sic et qui solitariam vitam debebant, semper secum Eucharistiam habebant, extra tamen illud tempus minime licet, sed in ecclesia distribuenda esse Sacramenta et non alibi decretum est a Concilio Bracharenensi sub Martino Papa I. can. 68., excepto infirmitatis casu. Idem decreverat Concilium Caesaraugustanum can. 3. Hujus rei figuram praecipisse in veteri Testamento, levitici cap. 8.,

ubi praecipitur, ut carnes sacrificiorum ante fores tabernaculi comederent et non alibi, quod explicans Hesychius in levit. lib. 2. ait: „Intus oportet, in ecclesia, in loco sancto, id est ad altare coqui et comedi, alibi vero nequaquam“. Et ita tam ipse quam alii interpretes locum illum s. Pauli Cor. 11. 33 explicant: cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet. Quia, inquit, in ecclesia solum debet mystica coena celebrari. Et glossa ordinaria, quae est Ambrosii, dicit: „Invicem expectate in ecclesia, ut omnibus oblatio simul celebretur et omnibus ministretur“. Et Lyranus ibi: „Expectate, ut simul sumatis, quia sacramentum est ecclesiae unitatis“. Interlinea dicit ad similitudinem dominicae coenae et confirmatur ex eodem Apostolo: Si quis esurit, domi manducet. Lyranus dicit cibos communes, postmodum tamen Eucharistiam non sumpturus eadem die, poterit tamen alia. Anselmus ait: „Si non potest quis expectare s. synaxim jejunos, domi manducet, sed ita ut postea non communicet in ecclesia“. Et ideo in Rituali Romano de sacram. Eucharistiae in cap. *de Comm. Paschali*, cum statuisset, quibus infirmis distribui debeat domi etiam ob devotionem eucharistiam, subdit: „Sed alicui ad adorandum solum seu devotionis seu cuiusrei praetextu ad ostendendum non deferatur“. Domi ergo extra necessitatem morbi sumi nequit.

Tertio pro sumptione SSmi Sacramenti nedum necessaria est praeparatio naturalis jejunii in sanis, ut ex Rituali et catechismo locis super citatis et ex concilio Afric. cap. 9. can.: Sacramenta de consecr. dist. 1. can.: Liquido dist. 2. ac ex Nicolao papa ad consult. Bulgar cap. 65. Sed praeter statum gratiae est necessaria praeparatio animae et corporis per actus

virtutum fidei, religionis seu reverentiae et gratiarum actionis. Nam ex Con. Coloniensi 2. p. 2. cap. 21, antequam quis Eucharistiam sumat, tenetur actum aliquem fidei exercere circa veritatem Eucharistiae. Et ex lib. 5. Constit. Apost. cap. 26 et 3. sumpturus Eucharistiam debet Deo ante et post gratias agere (formula ibi praefinitur). In summa autem continet, quod gratiae Deo agantur, quia Filium suum misit in mundum pro salute nostra, statuit eum pro nobis pati, mori, resurgere et haec sacramenta relinquere etc. Et alia adest in cap. 27. formula agendi gratias post sumptionem. Est necessaria summa reverentia, actus nimium magnae humilitatis ex consideratione, quod sanctus Sanctorum, rex Regum et Dominus dominantium hospitium sui corporis honorare dignatur. Et quemadmodum domum materiale pararet, si principem aut regem secum vel summum pontificem in ea esset recepturus, ideo Catechismus romanus p. 2 de sumpt. Euchar. n. 57 ait: Praeterea taciti cum animis nostris cogitemus, quam indigni sumus, quibus hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est se non invenisse tantam fidem in Israel, dicendum est: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Exquiramus etiam a nobis ipsis, an illud Petri usurpare nobis liceat: Domine, tu scis, quia amo te“.

S. Bonaventura in tract. de praeparatione ad missam haec habet: „Proba te ipsum, ex quanta charitate et quali fervore accedis. Non solum enim mortalia vitanda sunt, sed venialia peccata per negligentiam et otium multiplicata et etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutae vitae et malae consuetudinis; licet enim non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem et

obnubilatum et indispositum et inceptum ad celebrandum, nisi dictae pulveres et stipulae venialium per afflatum spiritus et flammam charitatis ventilentur et consumentur ex ardente igne cordis et ex consideratione propriae vilitatis. Ideo cave, ne nimis tepidus et inconsideratus accedas, quia indigne sumis, si non accedas reverenter, circumspecte et considerate“.

S. Thomas supra relatus in 4. sent. dist. 12. qu. 2. §. ad 2 quaest. hanc praeparationem ait necessariam pro Eucharistiae sumptione: „Desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit amor et reverentia Sacramenti, quod ad donum timoris pertinet. Primum incitat ad frequentationem hujus Sacramenti quotidianam, secundum retrahit“.

S. Joannes Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 14. post medium loquens de sumptione Eucharistiae, docens in ea esse verum Christi corpus inquit: „Proinde omni cum timore et conscientia et indubitabili fide accedamus et veneremur ipsum omni puritate animi et corporis. Accedamus ei desiderio ardenti; manus in crucis modum formantes Crucifixi corpus suscipiamus. Communio dicitur et revera est, quia per eam communicamus Christo, communicamus ejus carne et divinitate, communicamus atque vivimus invicem per illam“.

Adrianus VI. supra cit. loc. cap.: *Ex jam dictis §. Pro responsione*, ait: „Praemitto, quod non sine magna temeritate et damnabili elatione animi quis innititur propriis meritis, aut alias tamquam ex eis dignus sit venerabile sacramentum Eucharistiae sumere etc.“ Assignat horum rationes et subdit: „Restat igitur, ut nemo confidat in se homine, quia sic recedit cor ejus a Deo, sed pro digna praeparatione levet bovem superbiae in ara cordis: diffidat de omni sua industria et cum Daniele non in suis justificationibus prosternat preces suas sed in miserationibus Domini multis et magnis nimis; non se offerat in cogitatione, velut taurus, sed parva de se sentiens totum projiciat in Deum“. Et post alia multa concludit: „Habenti libertatem magis expedit sumere, praemissa tamen debita praeparatione juxta posse fragilitatis humanae, et qui petit in Dei amorem incendi, sumat hunc panem, quia caro Christi est carbo ignitus laesionis unitio et omnis cordis purgatio“.

Tandem de dispositione corporali in sequentibus capitibus docet, quod pollutus in somno vel vigilia, etiamsi non consentit vel non dedit causam, si libertatem habet sumendi et non sit arctatus ex aliquo praecepto, abstinere debet sequenti die a communionem, et hanc materiam diffuse exagitat. *Haec Adrianus.*

Ex quibus omnibus patet, quod praeter puritatem animae a peccatis aliae dispositiones positivae et negativae sunt necessariae ad sacram communionem, sive non frequentem sive frequentem. Et dantur aliquae regulae, quarum directione potest quis homo discernere, an possit communionem frequentare etiam quotidie et an debeat frequentatione maxime quotidiana abstinere.

*Quomodo doctrina haec de quotidiana communionem permittenda vel prohibenda per episcopos debeat ad praxim reduci.*

Omnium primo pro dioecibus, in quibus usus hic quotidianae communionis controvertitur, earum episcopis transmittendum est exemplum epistolae a S. C. C. Episcopo Brixienensi de anno 1587. 24. Januarii scripta et eidem haec sequentia addenda sunt:

1) „*Errorem esse, quod quotidiana communio sit jure divino praecepta vel prohibita*“.

2) „*Irreligiosum esse, quod cum sola carentia peccati mortalis absque alio religionis ac pietatis actu quis ad communionem sive quotidianam sive non quotidianam accedat*“.

3) „*Quod actus positivi ad communionem pro qualibet vice requisiti sunt actus fidei circa veritatem hujus sacramenti, actus amoris circa Christum, cui vult conjungi et communicare, actus reverentiae circa Sacramentum omnium rerum ac personarum SSimum, actus timoris filialis circa eumdem timendo ne sit ei invisus minusque placens*“.

4) „*Quod requiritur decentia etiam in aliquibus externis; nempe, ut non in propria domo nisi infirmitatis causa Eucharistia sumatur et nullatenus etiam devotionis causa retinetur (nisi forte persecutionis tempore). 2. Ut conjugati, qui praecedenti nocte debitum matrimoniale sibi reddiderunt, ad communionem accedere non debent. 3. Qui polluti etiam sine consensu et causa, nisi adsit necessitas. 4. Neque qui in die communionis mundanis negotiis sunt vacaturi, in quibus semper aut fere semper mendaciis, perjuriis, murmurationibus vel detractionibus, clamoribus, jurgiis, jocis vel similibus delinquitur*“.

5) „*Qui hoc modo et cum his circumstantiis est quotidie dispositus ac praeparatus, quotidie potest Eucharistiam sumere cujuscumque status et conditionis ille sit. Qui vero tenent sufficere, si peccato se carere judicent nulla alia praeparatione praemissa, ex hoc solo capite indigni sunt et hoc docentes tamquam irreligiosi, irreverentes ac petulantes per pastores ecclesiarum coercendi et omni juris ac facti remedio puniendi*“.

„*Haec pro modulo meo existimavi ad Dei et SSmi omnium Sacramenti honorem et gloriam dicenda, saniori tamen judicio et maxime Ecclesiae magistro, Christi Vicario submitienda.*“

*Fr. Laurentius de Laurea minor. Convent. consultor s. officii.*

Die 12. Febr. 1679.

*Ad dubium de communione quotidiana et domestica.*

Licet hucusque varia extet opinio de quotidiana communionis dubio iis tamen inspectis, quae ex s. Scriptura, ex conciliis, ex romanorum pontificum Decretis ex antiquis PP., nec non ex catholicis historiis circa hoc negotium emanarunt, invenio quod in Ecclesia certum tempus nunquam a SS. Patribus ad hoc fuit praefinitum vel limitatum, quinimo ex traditione apostolorum hoc institutum emanasse omnibus certum est, ut astantes fideles missis SSmae Eucharistiae perceptione communicarent, quod probatur ex sent. SS. Patrum in *cap. peracta de consecr. dist. 3.* Et quod quotidiana communio, etsi non sit de jure divino nec de jure ecclesiastico, fuerit nihilominus olim ab ipsis SS. PP. valde commendata, docet D. Augustinus serm. 28 de verbis Domini, s. Ambrosius in lib. 5. de Sacramentis cap. 4 ibi: „*Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod tibi quotidie prosit; sic vive ut quotidie merearis accipere*“.

Quae quidem consuetudo quotidie communicandi in quarto saeculo tempore s. Hieronymi Romae etiam vigeat, quod eruitur ex epistola 50. ad Pammachium.

*Item s. Basilii in epist. ad Caesarem Patritiam ait: Communicare singulis diebus praeclarum est et utile cum Christus ipse dicat: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem,*

nem, habet vitam aeternam; certum igitur est quod assidue participare de hoc SSmo Sacramento nil aliud est quam multifarie vivere“.

S. Augustinus in lib. 1. ad inquisitiones Januarii circa hanc quaestionem bifariam deserit opinionem; prima est, quod non sit sumenda Eucharistia quotidie eo quod eligendi sunt dies, quibus homo purius continentiusque vivit, ut ad hoc Sacramentum dignius accedat, qui enim manducaverit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Alia contraria ita dixerit: Si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia deferenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam poenitentiam et eadem auctoritate reconcilari. Hic enim est indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam. Caeterum si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisque homo iudicetur, non se debet a quotidiana medicina dominici Corporis separare. Ad praedictas rationes optime respondet idemmet Augustinus. Faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum et exemplo Zacchaei et Centurionis difficultatem tollit circa Christi receptionem. Et ita utriusque sententiam approbat, si uterque ex motivo honorandi Christum vel recipit quotidie vel non recipit.

„*Idemmet Augustinus in libro de ecclesiast. dogmat., cap. 53. sic loquitur: Quotidie Eucharistiae communionem percipere, nec laudo nec reprehendo; omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor*“.

„*S. Cyprianus de Oratione dominica serm. 6. hanc quoque firmat opinionem: „Nostrum panem, id est Christum, quotidie nobis dari petere debemus et qui in Christo manemus et*

vivimus, a sanctificatione et corpore ejus non recedamus“.

„*Idem firmat Joannes Chrysostomus hom. 28. in ep. 1. Cor. explicans illud: Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat. Et in hom. 62. ad Pop. antioch. objurgat eos, qui raro communicant: Consuetudine et praesumptione etc.*“

S. Gregorius magnus hom. 22. in evang. ait: Providens enim nobis Dominus dedit hoc sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus et jam mori non potest per istud Sacramentum corporis sui peccatorum remissionem consequamur; quotidie enim comeditur et bibit in veritate. „*Hoc idem firmat s. Athanasius in epistola 1. Corint. cap. XI.*“

„*Iis igitur praemissis, quae ab antiquis doctoribus et patribus ad propositae quaestionis explicationem exposita sunt, devenio ad ea, quae a modernis doctoribus circa nostri dubii solutionem promanarunt*“.

*Et primo cum D. Thoma (4. Sent. dist. 52. qu. 3. art. 2) una cum omnibus doctoribus firmo, quod frequenter communicare est per se bonum ex suo genere, abstinere autem non bonum nisi ratione accidentis alicujus, nempe si inordinate fiat vitio communicantium; unde ut indicaret s. Synodus Tridentina, quod hujusmodi, quod est melius per se, potest impediri, non absolute dixit: Optat, sed Optaret ut omnes essent idonei et possent cum Psalmista dicere: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus; sicut eadem s. Synodus in cap. 6. et 8. sess. 13. de Doctr. Sacram. Euchar.*

„*Et hoc quoque asserit D. Bonaventura in lib. de profectu religionis tit. de septimo prof. c. 21., ubi ad solutionem hujus quaestionis respondet: „Videtur mihi quod non possit super haec omnibus dari regula uniformis,*

varia enim sunt hominum merita, diversa operum studia“.

*Idem s. Doctor* in 4. sentent. dist. 12. pag. 2. quaest. 2 deinceps movens hoc quaesitum docet, quod, quotiescumque quis paratus est, utile semper est hoc Sacramentum recipere ipsumque quotidie frequentare, dummodo qui recipit cognoscat se esse in statu Ecclesiae primitivae. Si autem in statu ecclesiae finalis, ut frigidum et tardum, laudandum est quod raro; quod si medio modo, medio modo debet se habere et ut discat revereri aliquando debet cessare. Unde idem D. Bonaventura in tract. de praeparatione ad missam: „Proba te ipsum ex quanta charitate et quali fervore accedis; non solum enim mortalia vitanda sunt, sed venialia peccata per negligentiam etc.

Patet igitur ex his Doctores omnes Ecclesiae, quorum doctrina Ecclesia nostra utitur, frequentem et quotidianam communionem hominibus bene dispositis laudare et consulere; ideoque non videtur posse ab aliquo quotidiana communio impugnari et poscenti denegari, nisi publicis peccatoribus. S. Thomas 3. quaest. 8. art. 6., quin immo nec praefiniri posse a nemine ex verbis Concilii credendum est, ut patet ex verbo: *Optaret*: tota enim haec res in praeparatione animi consistit ut ex d. cap. 7.

Quod etiam firmatum remanet ex Concilii Trid. auctoritate in sess. 13. c. 8.: „Mysteria Corporis et Sanguinis Christi ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione et pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint etc.“

„Et in sess. 22., ubi nedum id consulit sed desiderat id fieri, et in sess. 13. cap. 2. assignans alium fructum ex hujus Sacramenti perceptione proveniente, ait: *Sumi autem voluit Sa-*

*cramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes, vita illius qui dixit: Qui manducat me vivet propter me.* Et Catechismus Romanus in p. 2. cap. 4. n. 58., cum monuisset non satis esse semel in anno sumere, consulit ut saepe sumat; deinde ait: *Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus magis expediat?* certa omnibus regula praescribi non potest.“

„Cum autem catechismus sit agendorum in disciplina ecclesiastica et in usu sacramentorum certa regula et, ut patuit, consulat omnibus dispositis quotidianam communionem dicens praeterea hunc esse communem Patrum sensum id consulentium, igitur non posset nisi temere contra Concilium et Patrum sensum improbari in bene dispositis quotidiana communio.“

„*Hanc veritatem confirmant varia Romanorum Pontificum decreta*, ut canon. X.: *Peracta* de consecr. dist. 1., Adrian. VI. in 4. Sent. de Eucharist. cap.: *Ex jam dictis*. Et in cap. 9. ad consult. Bulg. Nicolaus I. et in lib. 4. de Missa cap. 42. Innoc. III. dicens: „Dixerit ergo quisquam communicandum esse quotidie, dixerit alius non quotidie communicandum; faciat unusquisque quod pie erediderit esse faciendum.“

„His denique denuo praemissis firma remanet conclusio, quod Sacramentum Eucharistiae nec denegari nec praefiniri potest, ut optime sancitum fuit ex tot SS. Patrum dictis Romanorumque Pontificum decretis et in una Brixien. firmavit Sacra Concilii Congregatio die 9. Januarii 1587.“

„Nam licet Ecclesia praecipiat ut saltem semel in anno fideles communicent, non tamen prohibet ut non communicent nisi certis et determinatis diebus, ut bene docet textus in cap. *Quotidie, de consecr. dist. 2.*“

„Quidquid tamen hucusque optime sancitum sit de hoc SSmo instituta quotidiana communionis, quia nostri saeculi tempora a primitivae Ecclesiae temporibus valde diversa sunt, ut firmat s. Bonaventura loc. cit.: „Si autem in statu Ecclesiae finalis, ut frigidum et tardum, laudandum est quod raro,“ crederem omnimode observandam dispositionem supradicti cap.: *Quotidie, de consecr. dist. 2.*, in quo duo colliguntur, primum est, quod nec laudat nec vituperat quotidie communicare; et secundo judicat id remittendum totum conscientiae accipientis, dummodo hoc faciat, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Totum enim hoc negotium consistit ut unusquisque paratus accedat. Unde ad propositae quaestionis solutionem cum D. Bonaventura in supra citato libro de profectu religionis (tit. de septimo profectu) dico: „Videtur mihi quod non possit super haec omnibus dari regula uniformis, varia enim sunt hominum merita, diversa operum studia.“

„Dico igitur, quod qui manent in statu negotioso, ut sunt homines conjugali, non debent hoc sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quotidie frequentare, quia eorum mens saepe saepius in matrimonialibus actibus remanet perturbata et distrahat in his sanctis actionibus. Quapropter Catechismus Romanus p. 2. de Eucharist. n. 58. ait: „Postulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum abstineant.“

Et Clemens VIII. statuit, ut graecus sacerdos, antequam celebret, per hebdomadam vel saltem per triduum abstineat ab uxore. *Et in can. p. et can. vir cum propterea* 33. 9. 4. prohibet communicare ei, qui praecedente nocte cum uxore concubuit etc., licet Concilii Tridentini probatio in cap. 7.

sess. 13. de Sacram. Eucharistiae sit puritas a mortali.“

„Quantumvis tamen satis esse videatur, ut sine peccato mortali accedat homo ad hoc Sacramentum, sunt nihilominus nomine indigni qui tenent sufficere, si culpa mortali se carere judicent, nulla alia praeparatione praemissa.“

„E contra religiose viventes et a mundanis curis separati, qui ne labantur hac medicina continentur, his consilium dandum est, ut crebro accedant.“

„Caeterum ex his omnibus concludendum est, quod nunquam in Ecclesia a tot sanctis patribus id fuit praefinitum; ideo a nobis etiam aliquid novi non videtur decernendum, sed solum Episcopis scribendum, ut suum opus agant invigilando, una cum confessariis et praedicatoribus, qui doceant poenitentes quotidianam communionem non esse nec de jure divino nec de jure ecclesiastico praecipit nec prohibitam et irreligiosum esse cum sola carentia mortalis culpae ad tantum Sacramentum accedere sine aliquo actu religionis ac pietatis.“

„Item, quod Episcopus mandet omnimode servari disposita in Concilio Bracharensi sub Martin. PP. 1. can. 68. et in Concilio Caesaraugustano cano. 3., ubi praecipitur sacrum Eucharistiae Sacramentum non in profana domo vel alio loco simili sed tantum in sacro sumendum esse, excepto infirmitatis casu. Cessarunt enim infidelium persecutiones, quarum tempore Christiani Eucharistiae Sacramentum domi tenebant suisque manibus illud sumebant.“

„Die sabbati 2. Octobris 1677 hora 13 in Quirinali erit Congregatio s. Concilii, in qua proponentur infrascripta juxta stylum ejusdem s. Congregationis de jure resolvenda: